

VK
1918

Vk
1918

EVREMATICA QVÆDAM
CIRCA
FEVDA LVSATIÆ SVPERIORIS
SISTIT

ATQVE
V I R O
EXCELLENTISSIMO AC CONSVL-
TISSIMO
DOMINO
IOANNIGODOFREDO
FIEDLER

INCLYTORVM LVSATIÆ SVPERIORIS ORDINVM
SECRETARIO

DE REPUBLICA
AC SE
MAXVME MERENTI

NATALEM

AD III. IDVVM IANVARII
LÆTIS AVSPICHS REDEVNTEM,

FELICISSIMVM ESSE IVBET

CHRISTIANVS GOTTHELFF LEHMANNVS,

PRÆF. BVD. AC GORL. ADV. ORD.

BVDISSÆ, LITTERIS CHRISTIANI SCHOLTZII.



144, 21.

2,773.

EMMENTON QVADAM
FEYDA LYSALAE SUPERIORIS

VIR O
EXCELSISSIMO AC CONSILI

D O M I N O
IOANNI GODOFREDO

SECKER T A R I O
DE REIPUBLICA

NATALEM
AD REIPUBLICAM SAXONIAM
I A I R E A V A R I I S R E G N A T I T E M

CHRISTIANI GOTTFRIEDI LICHMANNI
MAGISTRI ACADEMICI



Enim vero non illa hic recoquere animus est, quæ fato nescio quo, benigniori certe satis superque factis, dicta sunt Lusatix meæ, quibus superbit scriptoribus, de Feudorum Lusatix indole, modo in iis succedendi, communi manu, origine denique, et id genus aliis; viderint hi, quæ ipsis præmia tribuit, grata posteritas! Ego quidem, nec Lusatix, quæ civitate me sua donavit, nec mihi met ipsi, hisce deliciis allecto defuisse videor, si, quod Buderus, Hommelius, de Ludwig, at quales, quantive viri! in Amcenitatibus, Oblectamentis ac Paradoxis suis, circa luris beneficiarii communis formulam effecere, nonnullas florum quasi sparsiones, quæ legenti ac cogitanti enascebantur, Lusatiorum feudorum placitis immisceam, quamvis hic vel ille in hac arte facile princeps omnem sui imitandi spem eripuerit.

Eur. I.

Disquirunt, et anxie disquirunt, quibus hæc res cordi ac curæ est, undenam gentium tantæ evenerint, Lusatix feudis immunitates, tam lauta iura, tam insignia commoda ut prope, proprius ad Allodiorum rationem accessisse videantur; quorum alii ad tritum illud systema Postcarolingicum provocant, omnia feudorum oblatorum pede ac modulo metientes, alii in verba historix Geronis lurantes, Saxonix Nobilitati, quæ postliminii iure, vacuefactam à Sorabis ac Slavis provinciam, armis sibi vindicaverat, hunc deferunt honorem. Sed illis dicam iam scripsit Gundlingius,



adversantur in quæ, Conradi primi, incidit ætas, tempora, et proba rei feudalis notitia derogat, quæ, quæ obtulit domino Vafallus bona, scimus, haud leniori quam omnia alia propria feuda, virgula notari; his è diametro quasi obstat: inepte hac ara, gregarios inter milites quæri nobilem, ingenuos autem, quibus uti obsequii, ita armorum gloria relicta erat, prædam bello partam non ipsis sed Duci aut comiti, cuius sub auspiciis militabant, peperisse. Mihi, hanc rem ita posse componi, arridet: Lusatia Vafallos, quorum terræ ad Caroli IV. tempora usque status reipublicæ germanicæ feudalis rigori (paucæ si exceperis) adstrictæ erant, dicti Caroli lenitate, Wenceslai (dignus qui erat imperio, nisi imperasset) liberalitate, ac, quod rei cardo est, voluntate Maximiliani II. ad contrahendum proclivis, beneficiis suis, lucrativo pariter ac oneroso titulo, hæc lura, hæc inquam privilegia conciliaffe.

Eur. II.

Omniem olim in feudis exulem fuisse hereditatem, et vetus de beneficiis Autor passim probat, et mediæ ævi rationes satis indignant. Mortuo enim Vafallo, quem coævus scriptores secutus, tunc rectius militem, hominem, aut donatarium domini appellaveris, sacris hereditatis filio cessis, terram, stipendii in modum elocatam, Dominus recuperabat. Qui mos, uti omnibus Germaniæ provinciis amicus, ita Lusatia sororio nexu, illis iunctæ, apprime conveniebat. In eo enim, omnem, qua longissime patet, Germaniam videmus conspirasse, ut illud Ovidii:

Facies

Facies non omnibus una, nec diversa tamen, qualem decet esse sororum, huc trahere possis. Sed quonam præprimis tempore evenit in Lusatorum feudis successio, neminem adhuc pro sua quisque facultate invenio exposuisse. Duo hic crediderim notanda. Alterum, quando ipsi Marchiones, successionis iure inceperint gaudere in Marchia Lusatiae ipsis concedita, alterum quando hæc fors obtigerit eorum Vasallis? Ad prioris rei probationem, evocanda mihi essent Conradi Salici tempora, vulgarem ipsius constitutionem, si tanti facerem. Absit! Scripta hæc est Italis suis! Ago Ericseundum ac Miscellionem. Una eademque mihi est ætas, quæ Misnensium ac Lusatorum Marchionibus successionem indulgit. Agendum experiamur. Lenta huius rei exempla ac initia quasi, apparent Eccardi lmi, Misniæ Marchionis temporibus, de quo Ditmarus, fat locuples testis:

maximam beneficii partem ab Ottone III. in proprietatem acquisivisse.

Sed hæc verba rem nostram nondum stringunt, cum idem scriptor alio loco, Hermannum filium Eccardi, ex gratia principis Marchionatum accepisse, asserat. Nec maiorem præ se ferunt veritatis speciem, quæ Hermannus Contractus, de Eccardo II. qui ipsi Imperatori Henrico II. fidelissimus fidelis dicebatur, in medium protulit, cum eundem ditissimum Marchionem, prædiorum suorum heredem, regem reliquisse affirmet. Sensus enim horum verborum is sublatet, quod hæc prædia regi relicta non alia fuerint, quam quæ hodiernum patrimonialia audiunt. Ipsa enim Misnensis Marchia Eccardo II. fati functo, ad Dedonem pervenerat. Qui quidem, vti felicissimo consortio, omnem Saxoniam

Marchiam, quæ tunc temporis Misniæ ac Lusatiaë constabat partibus, suo imperio addixerat, ita ille Lusatiaë Marchionati eiusmodi superioritatem, quam vocant, territorialem intulit, ut successione iure eundem tenuisse videatur. Verum enim vero prædicatur Lamberto Schaffnaburgensi Dominus Provinciaë usque dominus. Insigne nomen! atque commoda de eius virtutibus expositio, quæ quidem mira similitudine, illam denominationem refert, quam Chronicon montis sereni, cuidam maiorum suorum Theodorico, egregiaë libertatis homini tribuit. Ad eos quod attinet Marchiones, qui hunc Dedonem proxime excipiunt, his quidem nunc liberimam de ipso Lusatiaë Marchionatu dispositionem iam comperuisse constat. Sic Wiberto, secundum Lambertum, præpotens in Suirbia comes audit, et Conradus magni nomine insignitus, hanc de terris suis constituebat voluntatis rationem, ut filio natu maiori Misniam, Theodorico autem, utpote iuniori Lusatiam attribuerit. Quid quod! in hoc Conradi instituto, fundamenta iuris primogenituraë iacta quasi videre mihi videor! Sed, quæso! quando ipsis Lusatiaë Vassallis hæc feudalis successio fuerit largita? ut Pater, primus qui servitiis compararat beneficium, illud in filium, filius in nepotem transtulisset. Audi oblatorum feudorum Patronos. Uno tempore ac eo quidem, cum Germania Conradi Imi Maiestatem comiter coluit, hanc notatu dignam rem, clamitant in Lusatia evenisse! Prædiorum possessores itaque, vel superstitione ac pietatis specie ducti, vel diffidationum metu, ad potentiorum auxilia quærenda, adacti, terras suas Domino in feudum obtulerunt? Is vero interveniente forsitan brevis manus fictione si Diis placet, statim easdem reddidit, ac ut par pari referret, indidit successione, à feudis alias mi-
rum

rum quantum abhorrentem? Ita! Sic annuunt illi! Ast enim vero, quis unquam cordatior, decantatam illam brevis manus traditionem, è Latii luribus proveniente, in Germania hoc equidem tempore quærat? Mos ille, qui omnem medio in ævo occuparat Teutonicæ gentis oram, Lusatia etiam fines accessit, quod Dominus terrarum tractus in feudum sibi oblatos, in vera ac naturali, si ita dicere fas est, tenuerit possessione, ac hac lege per integrum annum retentos, sub fidelitatis ac divisi domini formula iis reddiderit, qui sponte obtulerant. Sed frustra ac inani prorsus consilio, subitanam hanc rerum conversionem in Lusatia fastis deprehendas! et tu, qui invenis, magnus mihi eris Apollo!

Putaverim ego, non prius in Lusatia feudis successionem reperiri quam Vasalli, milites illi feudatarii, nobilium titulum assumerint, quod uti decimi quarti seculi initiis evenisse diplomatum fides haud obscure asserit, ita ex paritatis ratione, quoniam æque ac ipsimet nobiles (hodierni illustres) bona sat lauta, ac cum iure successionis coniuncta possiderent, hanc sibi prærogativam conciliasse, ad veritatem proxime accedit.

Eur. III.

Modus, quo olim in Saxonia et provinciis Iuris Saxonicæ formulæ adstrictis, in feudis succedebatur, coniuncta ac communis manus audit, quam leges in hostico condita, simultaneæ investituræ nomine compellant. Hanc enim in Investituræ litteris apparere videas licet clausulam: *nicht aus der Kraft der Sippschaft, oder angebohrner Erbschaft, sondern*

dern allein aus Macht des Gedinges oder der gesamten Hand etc. Non est itaque quod miremur, quid sit, quod vel Illustribus nonnullis, vexilli feuda, ob simultaneam investituram defectum, denegata fuerint. Sic Dux Saxo Lauenburgicus, Alberto, ultimo Ascanicæ Stirpis Electore Saxónico, functo fatis, speciosum quamvis agnationis titulum prærendens ob huius communis manus neglectum, ipso Saxoniæ Electoratu multabatur, quale quid pari ex causa Electori Saxoni Rudolpho I. propter sanguinis vincula, vacuum Marchiæ Brandenburgicæ regimen ad se deducturo, Imperatore Ludovico Bavaro suasore ac Autore, evenisse scimus. Quam tamen communis manus ac simultaneam investituram necessitatem, in Lusatia nostra exolevisse, quis est qui ignoret? Causam quæris? Rem acu tetigisse sibi persuadent, qui eandem ex anomola ac impropria feudorum lusatice ratione deducendam esse putant. Belle! Egregie! Scite! Monstra loquuntur ac portenta. Quis mihi vitio verteret, si veriora quædam protulero? An forent, Iudicium sit penes cordatiores. Verum enim vero, præter pactum ac providentiam, præter communem manum, præter formulam denique simultaneam investituram, e Lombardia petentem natales, alius quo in feudis olim succedebatur, modus datur. Communio scilicet, quæ quidem uti ad rei feudalis germanicæ incunabula quasi, debet referri, ita paucissimis, qui de feudis tradiderunt, innotuit. En germanice illam enunciatam. Die Lehnsfolge aus der Gemeinschaft ohne Mitbelehnenschaft. Schilterus, quem cum cogito, quem non contemno Iureconsultum? primus istam multa antea obductam nocte, in lucem protulit. Veterrima enim, quæ litterarum monumentis conscripta sunt exempla probant atque evincunt,

cunt, communione illa, omnem olim in feudis successionem absolvi. Successionem autem eam subintelligo, quæ non ex primo acquirente oriundos, sed his latere iunctos aut extraneos respiciebat. Huius axiomatis, (quo vel tantisper seposito, nullæ, anterioris ætatis investiturarum formulæ rectius intelliguntur) illustrandi causa, ad ea, quæ de castro ac feudo Stauffenbergensi, in Curte Illustrissimi Badenensium Marchionis sito, ab Iohanne Iacobo Reinhardo non ita pridem exarata sunt, provoco. Cuius quidem feudi Stauffenbergensis indolem veram eo invenimus rediisse, ut nullum à latere iunctum aut extraneum ad successionem admiserit, nisi, qui communione in illo gauderet, quamvis perinde erat, utrum eiusmodi communio esset indivisa, an feudi huius partibus cuivis adscriptis obtineret, in quo hanc ab ipso Ganerbinatus pacto, qui nullas partes admittere solet, seiunctam fuisse deprehendimus. Hanc successionis feudalis speciem, communionem puta, Lusatia pariter Vassallis propriam fuisse facile ad credendum possum adduci. Progenies enim illæ, Lusatia nobilium, quæ ex eadem gente oriundæ pari nomine insigniuntur eandem satis indigitant, et non abhorret ab historiarum fide, Lusatia victorem cuivis militum genti ac familiæ; quos ex Saxonia sua huc ablegarat, certos etiam in communionem, quamvis divisibus fundos adsignasse, qui ad neminem, nisi qui huius communionis particeps erat, pervenerant. Sunt coniecturæ! Fateor! sed quibus multa adiuvantur loca Iurisprudentiæ Lusatiorum feudalis, quæ alias ineluctabili obscuritatis fato premuntur. Verum enim vero, causa nunc apparet, quam tandem ratione factum sit, quod Lusatia Vassalli, pro eo, ac Iuris feudalis saxonici scitis in universum accommodati

B

dati

dati erant, Maximilianum II. tamen supplices accessissent, summopere eum rogati, vellet ipsorum agnatis communi licet manu destitutis, nihilofecius largiri successionem. Nitebantur enim communionem ista, de qua copiosius sumus locuti, eamque pro concessa ac probata ponebant. Quam etiam communionem vel tacite loquuntur confirmata illa Statuum pacta, quibus omnem burgensem hominem, ac nobilem etiam intra quatuor clypeorum dignitatem constitutum à comparandis feudis arcuere. Neutri enim, ob avitæ nobilitatis defectum, istam competiisse communionem, chartæ veterimæ produnt. Et Lusatî quidem in hoc patrii iuris tenacissimi, quod veterem ac puram vti vocant, voluerint nobilitatem, quam scite ac eleganter Poeta ita canit: Nam mihi Laertes Pater est, Arceſius illi, Jupiter huic, neque in his quispiam damnatus aut exsul. Et alio loco, Deum in vtroque Parente efflagitat.

Eur. IV.

Errant, ac hoc errore se dant turpiter, qui Lusatîæ ingentem feudorum de Camera numerum affingunt. Illi enim reditus, quos iis, qui officiis eminentioribus defungebantur, constitutos videmus, non statim hoc nomine compellandi, cum, qui eorum causa, lurisiurandi vinculo adstringuntur, non tam Vasallagium, quam Hommagium præsent. Fidelitatis itaque ratione neglecta, vix feudi notio apparet. Nec Ministerialium quos (togatam quasi plebem) medium ævum sistit, statum ac sortem ad nostratium Præfectos, nisi invita Minerva proferas. Arcte tamen teneo atque accurate defendere

dere mihi videor, verum de Camera feudum in Lusatia Coenobiis adfuisse. Praeficiebant nimirum Lusatiae domini, Coenobiis istis Antistites, quos fidelitatis formula interveniente, ad ea servitia sibi devinxerant, quae commodis Domini inserviendo infumi solent, largo ipsis concesso stipendio, quod ex filci pariter ac coenobii rationibus provenerat. Quod quidem de Camera feudum procedente tempore evanuit, cum Advocatiae feuda illinc emergerent, quamvis haud levi coenobiorum dispendio, ex illa, ut fit, denominatione, ad hunc, quem vivimus diem, imperitioris plebeculae cohorti patrimonialia, fiscalina, et cameraria bona, et nescio quid aliud monstri simile dicantur. Neque enim ego is sum, qui multum Nicolai Hennelii Autoritate commovear, qui in Silesiographia hunc ingenii sui foetum, pleno, quod aiunt, alvo exclusit, aut sublestae Msct. Leuberiani fidei adfentiar, cum ipsi Lusatiae Principes, suis in coenobia isthaec, propensa admodum voluntatis testimoniis omnia alia dederint commonstratum, quae nec illa, inimica alias compellatione: unsre Cammer Güter, à Rege Ferdinando, in Constitutione de Aderatione servitiorum Lusatiae equestrium, eversa fuere. Quid quod! omnis haec sinistra cadit opinio, insignem illam si consideramus praestantiam, propriam Lusatiae Coenobiis. Cum enim, iubente ita Capitularium Regum Francorum, Caroli M. atque Ludovici Pii sanctione, quavis Abbatia Praefectos sibi atque Defensores ab Imperatore expetere, atque voluntate ipsius constitutos accipere teneatur, Lusatiae certe Coenobia facultate ad feudum istud Advocatiae, quemvis, quem velint presentandi, liberrima gaudent.

B. 2
Eur. V.

Eur. V.

Haud ignobilis, nobis se offert quæstio, quæ uti-
litas ita lucunditatis gratia commendatur: utrum Lusatia
feuda sint ligia nec ne? Inanem hanc operam exprobrant,
quibus omnis in Germania Vasallus, homo ligius dicitur,
tralatitium illud: semper exceptus Imperator, occinentes.
Ast salva est res. Elegans prodeat in scenam exemplum
scitorum feudalium compileribus parum obvium. Dux de
Marborough, Angliæ illud decus, qui, licet magna in Ger-
mania oris ipsum præcesserat fama, maior adhuc invenieba-
tur, Iosephi Imperatoris auspiciis, ad Germanici Imperii
principis dignitatem atque fastigium evector, de ipso Min-
delheimensi principatu, Ducatus Bavarix exuviis investitur.
Tantum abest ut ille Imperatori, contra omnem creaturam,
uti id diploma quoddam vetus exprimit, promiserit servitia,
ut potius Angliæ regnum, antiquius quippe Dominium ex-
ceperit.

Non itaque otiosa hæcce feudorum divisio. Saltem
Lusatia meæ mirum quantum convenit. Si quid video,
Lusatia Vasalli, ligiis accensendi. Neque enim, quo unita
fuit tempore Bohemiæ, omni fere Germanorum nexu ex-
empta, neque quo ipsi Marchionatui præfuere Imperatores,
ad castra sequenda evocati, contra Imperium dimicasse dici
poterant. Quoad intermedia tempora fidem testor Guiber-
ti Lib. 5. C. 24. ubi Carolum IV. ita compellant: Domine
Rex, de iure nostro existit, et ab antiquis temporibus in-
violabiliter observatum, quod intra regni limites ipsum re-
gnum contra eos, qui hoc hostiliter invadere conantur, pro
viribus

viribus debemus defendere ac tueri. Iure itaque quodam ad Lusatiae Vassallos illud abundanti ex ingenio Iserniae dictum.

Fidelis Ero Unice Domino Vero Meo
quadrare videtur.

Eur. VI.

Non est, quod Lusatii, de Instituto periculi equestris, ipsis quasi proprio ac minime communi gloriantur. Optimo iure ad Iuris germanici civilis universalis, pauca illa, ac raritatis gratia alias commendata, capita referri potest. Qua de re haud levis subit admiratio, vel Petrum de Ludwig, patrii Iuris scientissimum, in verbis privilegii Ferdinandi: *und so jung, gesund und stark wäre etc.* hunc sibi invenisse sensum; quod scilicet nefas sit, eum, qui vires habeat, dicere impotentem ad procreandum successores clientelares. Explicanda potius veniunt hæc verba, ex restricta admodum alienandi mortis causa, veterum Germanorum libertate. Hospes sit in domesticis Iuribus, qui nesciat, mortis causa alienaturum, eumque nobilem, equum ascendere à terra, *burgensem, peditem gladio accinctum incedere zu Ringe und Gedinge gehen*, rusticum vero, vel aratrum ducere, vel etiam trabibus insedere, *den Hanebalsken zu bestiegen*, obstringi. Quicquid vero huius rei sit, mea quidem opinione ex Germanorum odio, quo ægrotos ac Testamenta prosequerentur, ducit originem. Illud speculatoris: *auf allzuviel und Krüpel Kind stirbt weder Lehn noch Erbe*, divitionem hominum in sanos ac ægrotos haud inanem ac mente casam præstruit. Testamentorum vero tam

pareus atque tam exiguus vsus aderat, vt, quamvis iam Vlfalas Gothorum Episcopus, litteras ipsos docuisset, seculo tamen demum tertio decimo, in Germania magna, paulatim condi cœperint. Quæ quidem res eventu adhuc caruisset, nisi Pontifex Romanus, quam in coercenda apud Germanos vsurarum prauitate, laudabili sane studio collocarat operam, eandem uno fere eodemque tempore, in favore Testamentorum adiuuando, omni animi contentione impendisset.

His quidem otiiis, diutius in præfenti immorari, dies facer ille votis meis, non finit, qui hodie in fastis apparet, et me ad sincerissimæ mentis testificationem devocat. Verum enim vero Illuxit

T I B I

VIR Excellentissime ac Consultissime

multisque mihi colende nominibus!

Denuo Natalis, qui Sexagesimo tertio ætatis TVÆ anno, terminum ponit exoptatissimum. Emetiris, quod felix ac faustum TIBI fiet, hac temporis circumscriptione, quem vel blanda superstitione, felicissimum auguratur, Annum climactericum. Quid quod! cum triginta nunc elapsi sint anni, quibus maxuma cum laude, ac ad inclytorum Ordinum, qui TIBI applaudunt, voluntatem, ardua
Secre

Secretarii munia explevisti, si prisca Germanorum ævi computatio sequenda, **Seculum** emensus es. Lubentissime itaque eorum accedo consortio, qui **TVÆ** in ipsos collatæ humanitatis pariter ac benevolentia memores, ab hodierno die, vota pro **TE** a salute **TVA** nuncupandi, causam petunt Iustissimam. Servet **TE** summum Numen ad longævos usque annos incolumen, vigeas publicæ rei adiumento! Floreas genti **TVÆ** commodis! ac omnium, de quibus maxime mereris, causa, longe latus intersis rebus humanis! Quod si, procedente etiam tempore, **TVO** me amplecti favore, digneris, ego quidem, rationibus meis, lætabor, valde consultum. Dabam Budisæ Nonis Januarii, **MDCCLXIV.**



1911

V
G
B

Secretarii omnium corporum, et quibuslibet personis, quibus
hinc inde scribitur, et quibuslibet personis, quibus
one eorum, et de cetero, qui in istis locis
hinc inde scribitur, et quibuslibet personis, quibus
die, et de cetero, qui in istis locis
tunc hinc inde scribitur, et quibuslibet personis, quibus
vos, et de cetero, qui in istis locis
co: hinc inde scribitur, et quibuslibet personis, quibus
quibus hinc inde scribitur, et quibuslibet personis, quibus
hinc inde scribitur, et quibuslibet personis, quibus
supra hinc inde scribitur, et quibuslibet personis, quibus
liber, et de cetero, qui in istis locis

MDCCLXIX

VIR. Excellentissimus et Reverendissimus



70




ULB Halle
007 752 164

3





Vk
1918



EVREMATICA QVÆDAM
CIRCA
FEVDA LVSATIÆ SVPERIORIS
SISTIT

ATQVE
V I R O
EXCELLENTISSIMO AC CONSVL-
TISSIMO
DOMINO
IOANNIGODOFREDO
FIEDLER

INCLYTORVM LVSATIÆ SVPERIORIS ORDINVM
SECRETARIO
DE REPVBICA
AC SE

MAXVME MERENTI
NATALEM
AD III. IDVVM IANVARII
LÆTIS AVSPICHS REDEVNTEM,

FELICISSIMVM ESSE IVBET
CHRISTIANVS GOTTHELFF LEHMANNVS,
PRÆF. BVD. AC GORL. ADV. ORD.

BVDISSAE, LITTERIS CHRISTIANI SCHOLTZII.



2773.

